





1693.

1. Krenpler, Johann Georgius: De iurisdictione in genere
et in specie.
2. Schenkel, Joh. Conrad: De iure praesentendi in con-
tractibus
- 3^{tes} 2^{tes} Strum, Johannes: De eo, quod iuratum est circa
nuptas. 2 Sept. 1693 et 1734.
4. Stock, Conradus: De conatu

1694.

1. Joh. Frideric. Schleschaus: De retractu territorialis
2. Ulmer, Johann Melchior: De fideicommissu uni-
versali testamentario
3. Wissenbach, Phil. Franc.: De Xenois kai
kata Xenois juramentorum.
4. Zaunschliffen, Otto Philippus: De revelatione

1695

1. Cramer a Wiederslein, Wilhelm Heinrich: Compendium

juris universi . . . exhibens juris materiam
accurate universam, resumens autem hac vice
omnia et materiam hujus tractatus, in qua p[ro]p[ri]e
h[ab]et . . . , fidei in omnibus speciebus . . . legi-
t[er] servandae, presentationis tradidit.

2. Thrinck, Dietrich Christoph: De perquisitione
domestica
3. Kleinschmidt, Johann Marsus: De pacto de non
petendo.
4. Meier, Frachimus: De furore et odio deque
ferocibus et odiosis seu in genere quem
in specie ratione personarum actio namque
in illis derivatarum in jure.
5. Weirrich, Philippus Conceptus: De reprobatione
hereditatis
6. Zauschifferus, Otto Philippus: De revocatione
testamenti

1696.

1. Schanz, Joh. Claudius Petrus: De indubitata
ac firma judicis sententia.
2. Zamschippers, Wl. Philippus: De judice dubi-
tante.

1697.

1. Kucherbecker, Simon: De retentione pignoris
etiam ubi debetur chirographarium.
2. Lehmann, Benjamin: De laesione licita.
3. Major, Henricus: De jure circa hominem
mortuum.
4. Simmer, Fridoricus: Delimitatio absentiae.
5. Heuber, Joh. Martin: De compensatione.
6. van der Velde, Franciscus: De alimentis praes-
tendis liberis praecipue prioris matinesis.

1

2

3

x

5

6

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]







5 P. 13.
M

1695, 2.

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

DE

PERQUISITIONE
DOMESTICA,

Vulgò

Hausſuchung/

QVAM

SOLO DEO PRÆSIDE
EX AUCTORITATE ET DECRETO

Ampliſſimæ & Conſultiſſimæ

FACULTATIS JURIDICÆ

IN CELEBERRIMA,

QUÆ MARBURGI CATTORUM EST,

ACADEMIA.

PRO

DOCTORIS GRADU

In Utroque Jure rite conſequendo,

Publico Academiæ Procerum examini ad d. 30. Julii in majori ad

Lanum Auditorio ſubmittit

DIEDERICH CHRISTOPH IHRINGK,

Allendorffio ad Salinas Haſſus.

Marburgi Cattorum, Typis JOH. HENRICI STOCKII, AN. 1695.



202

DISSERTATIO INAUGURALIS
IURIDICA

PERQUISITIONE

DOMESTICA

IN

SOLO DEO IN AIDIO

RENA REFORMATA ET DECRETIS

WACHTAT IN IUDICIO

OU E MARET ET CATTORUM EST

ACADÉMIA

DOCTORIS GRADU

FREDERICI WILHELMI OFFI IURIS

ANNO 1802



⊙ (3) ⊙



PRÆFATIO,

Ad benevolentem Lectorem.

IN puniendis delictis & coërcendis delinquentibus maximè sollicitos fuisse nostros Imperatores & Jctos ex jure Justiniano passim constat, & rectè, si enim facinorosi debitis pænis non infligerentur, nemo posset in hoc mundo tranquillam & quietam vivere vitam, illud vero imprimis videmus in furto, huic enim si nec manifestum dupli, si manifestum fuerit quadrupli pæna statuta, insuperque in ipsum corpus furis animadvertitur, *l. f. ff. de furt.* quæ animadversio, cum hoc delictum adhuc hodie admodum frequens sit, ad pænam capitalem fuit extensa. *Constit. Crim. Caroli V. Imper. art. 162.* Et ne domini rerum suarum jacturam patiantur rebusque suis maximo sæpe labore & sudore partis priventur, & quo magis furibus eorumque & rerum furtivarum receptatoribus quodlibet iniquum extorqueatur lucrum, ideò à legislatoribus nostris introducta & instituta fuit *perquisitio domestica*, de qua præsens nostra agit dissertatio. Tuam igitur, benevole Lector testaturus benevolentiam, quam benignissime, hæc qualicunque de hac materia conscripta, interpretare & vale.

Duce



⊙ (4) ⊙

Duce Christo Jesu!

DISSERTATIONIS INAUGURALIS

De

PERQUISITIONE DOMESTICA.

Thef. I.

Perquisitionem à perquirendo, & hoc à per & quærere, quod idem est ac omnibus viribus, vehementer & absque intermissione explorare & investigare, dici nullus dubitat, & ita etiam accipitur in *l. 6. C. de metallar.* Vox verò *domestica* à domo, quæ licet in jure nostro secundum Bertazzoll. *tract. de claus. inst. claus. 19. gl. 3.* diversimode, & subinde etiam pro familia, als das Haus Sachsen/ das Haus Hessen/ accipiatur, nobis tamen hoc loco nihil aliud est, quàm ædificium ad habitandum constructum, & secundum *Ictos* ex solo & superficie constat, Glossa in *l. 49. ff. de Rei vindic.* derivatur.

Th. II.

Perquisitio *domestica*, in nostra vernacula die Hausſuchung/ & ab Imperatore nostro Justiniano in *§. 4. f. de oblig. qua ex delict. nasc.* requisitio rei furtivæ dicta, est actus ad petitionem ejus cui per furtum res subtractæ cum in finem in alienis ædibus, ut veris dominis res ablata restituantur, & delinquentes,
tum

⊙ (r) ⊙

tum ipsi fures, tum eorum rerumque furtivarum receptatores puniantur, à magistratu institutus & executoribus demantatus.

Th. III.

Quamvis vero *perquisitio* in ædibus alienis ob rem furtivam domino rei *regulariter* non sit licita sed potius prohibita, & propterea *perscrutatio* rerum furtivarum in domo aliena non admittatur, cum hoc prætextu ædes nostræ, quæ nobis tantummodo tutum & liberum juxta *l. 18. C. de in jus vocand.* præbere debent domicilium, omnium curiositati servirent, maximeque patrifam. expediat, ne patrimonii sui secreta pandantur, admodumque durum & inhumanum sit, tali perquisitione paupertatis vilitatem detegi, & invidiæ divitias exponere per *l. 2. pr. C. quando & quibus quart. deb.* ideo jure meritoque leges nostræ domino, contra eum qui ipso invito & reluctantante ipsius ædes ingreditur & perscrutatur, injuriarum actionem concesserunt *l. 23. ff. de injur.* Guid. de *Suf. in l. 3 ff. de fugitiv.*

Th. IV.

Quam injuriarum actionem dominus rerum furto ablatarum evitare potest, officium judicis, ut concedat suam familiam ad requirendas res furtivas, implorando, & ita magistratum adeundo *l. 3. ff. de fugitiv.* Bartol. *in l. 2. C. de serv. fugitiv.* Dn. Vultej. *ad §. 1. l. de oblig. quæ ex delict. nasc. num. 11.* Oldendorp. *class.*

A 3

class.

class. 7. act. 3. vers. sed non omnis &c. Num verò omnis
 iudex, tam is qui habet merum & mixtum imperi-
 um, quàm ille qui habet tantummodo jurisdic-
 tionem inferiorem perquisitionem in ædibus alienis
 concedere queat? Dicimus cum hæc *perscriptio*
 non haberi queat pro inquisitione proprie sic dicta
 per ea quæ tradit Paul de Castr. *consil. 349. incip. notan-*
dum, quod adulterium. num. 1. circa med. vers. nam facta fuit
lib. 1. Ubi his verbis ait, quod ejusmodi informa-
 tio præparatoria ad solennem inquisitionem facta
 non possit dici inquisitio; Cum hæc duntaxat fiat ad
 animum, judicis informandum, nec in ea servetur
 forma inquisitionis, sed fiat non præcedente forma,
 nec parte citata, nec etiam data copia defensionis &
 articulorum, & etiam à Berlich. *decis. 120. num. 3.* ge-
 neralissima inquisitio dicatur, & fiat tantum ad inve-
 stigandum, non verò puniendum delinquentes pro-
 pter levia delicta, ad quemvis judicem licet inferio-
 rem tantum jurisdictionem habeat, eandem specta-
 re, & ita etiam Lipsienses JCos respondisse testis est
 cit. Berlich. *decis. 120. n. 5.*

Th. V.

Magistratus itaque prædicto modo imploratus,
 si de furto commisso constet, secum delibera-
 bit & cognoscet, an persona, cujus domus perscrutan-
 da, sit suspecta, & an quædam indicia appareant, in
 hac vel illa domo res esse, & an cum rebus furtivis et-
 iam

⊙ (7) ⊙

iam persona, apud quam repertæ, capi possit, *l. 1. ff. de quest. exemplum nobis præbet, l. 1. §. 2. ff. de fugitiv. de servo fugitivo in alienis ædibus perquirendo, qua epistolis Divorum Marci & Commodi Imp. magistratibus præcipitur, quod dominos in requirendis fugitivis adjuvare, ipsis inventos reddere, eosque apud quos delitescunt, si crimine contingantur, punire debeant, cum ille qui scienter suscipit rem furtivam, eamque celat, actione furti tenetur & furti non manifesti obnoxius esse dicatur, §. 4. *l. de oblig. que ex delict. nasc. l. 14. C. de furt. & serv. corrupt.* Idem, quod jam de servo fugitivo diximus, Paul. de Castr. *ad l. 1. §. 2. ff. de fugitiv. ad uxorem, & Joh. Faber ad monachum in alienis ædibus receptos, extendunt. Imo cum Coras. ad rubr. ff. de servit. num. 83. ubi publica exigit utilitas, etiamsi nulla adsint indicia, in alienis ædibus copiam perquirendi magistratui patere statuunt, conf. l. 6. C. de metall. l. 6. inf. C. de aqueduct.**

Th. VI.

NUm vero ille, penes quem reperitur res furto subtracta præsumendus sit fur? Licet vero in dubio semper in mitiorem partem fieri debeat præsumtio & inde etiam quilibet præsumatur bonus, adeò ut delictum non præsumatur, sed plerumquè credendum sit, aliquem potius jure vel re sua uti, quam furti consilium inire per *l. 51. ff. pro socio, l. 56. ff. de R. I. Scheffer. 2. pract. quest. 5. num. 11. 12. Struv. ex 28. thes. 18. Alciat.*



802

⊙ (8) ⊙

'Alciat. & Menoch. *integr. tract. de presunt.* Nobis tamen placet *arg. l. 5. §. 6. ff. de Re milit.* distinctio inter personam *gravem & honestam, & vilem & aliàs hinc & inde suspicionibus gravatam* & cum de hoc memini, adeoque nec ipsi iudici, liquido constare possit, ex probabilibus argumentis, qualitate personæ, frequentia actus, aliisque indiciis iudex meritò cognoscet & arbitrabitur, an persona, penes quam res furtiva fuerit inventa, integræ vitæ bonæque famæ hæctenus fuerit æstimata, & hujus assertioni juratæ, quod scilicet rem per furtum non contrectaverit, neque illum, à quo rem furtivam emit, cognoverit, creditur, & bona tamdiu præsumitur, donec probetur contrarium, cum primis si talis persona authorem suum, si ipsi de eo constet, confestim nomet Angel. Aretin. *intr. malef. in verb. & vestem celestem abstulit. col. 10. Tiracuell. de pen. caus. 51. num. 131.* Quantum enim talis Vir bonæ famæ rei furtivæ inventione gravatur, tantum sua bona existimatione sublevatur, cum semper una præsumptio tollat aliam *arg. l. pen. ff. de restit. in integr. Boër. decis. 211. num. 18. p. 1.*

Th. VII.

AN vero persona sit vilis & malæ famæ, utpote quæ hæctenus sese associavit malis, & cum sceleratis hominibus habuit commercia, talis enim persona, cum res in eodem statu permanere seu mutatio non facile præsumatur, adeo ut qui semel malus semper



⊙ (9) ⊙

per malus præsumatur per *c. 8. de R. I. in 6to Ricc. p. 2. decis. Neap. decis. 159.* non poterit non pro fure, & ea-
 propter furti non obnoxia præsumi, præprimis si
 persona, penes quam res furtiva fuerit reperta, rem
 furto ablatam à fure clam vel modico pretio emerit,
 meritò præsumitur sciens & particeps fraudis,
 per ea quæ habet Schneidevvin. *ad §. 4. f. de obl. quæ ex delict. nasc.* ita ut etiam torqueri possit, & si
 sciverit rem esse subtractam, punitur tanquam o-
 pem præstans furi & receptator furti; uti Respon-
 so facult. Jurid. Jenens. confirmat Richter *p. 2. de-
 cis. 96. num. 12.* Causam enim damni dans, ipsum
 damnum dans, ipsum damnum dedisse censendus,
 nam hi celatores & receptatores plerumque cau-
 sa sunt, ut furta committantur, dann wäre der
 Hehler nicht / so wäre auch der Stehler nicht/
 Mascard. *de probat. concl. 833. num. 1. & 4. vol. 25.* Sali-
 cet *in l. f. C. de quest.* Hypol. de Marsil. *in l. qui fal-
 sam. 19. ff. ad L. Cornel. de fals.* Carpzov. *part. 4. Juris-
 prud. Roman. Constitut. 13. def. 9. num. 9.*

Th. IIX.

AD hæc igitur suspiciones sinistrasque præ-
 sumptiones evitandas optime sibi consule-
 possessor rei furtivæ, licet talem rem apud se in-
 ventam justo titulo possideat, si statim autho-
 rem

B

rem



rem, à quo rem illam acceperit, indicet. Glossa
ad l. 2. C. de furt. & serv. corrupt. hoc enim modo præ-
 sumptionem furti & doli, utpote quæ non rarò ju-
 dicem, præsertim si adhuc alia indicia concurrant,
 ut contra suspectum possessorem mediante tortu-
 ra inquirat, movere queunt, elidet & evitabit, te-
 ste Sichard. *in l. 2. C. de furt. num. 6.* Quisquis igi-
 tur fueris cura cautiùs negotiari, ne non tantum
 in damna hujusmodi, sed etiam criminis suspicio-
 nem incidas, monentibus Impp. Severo & Anto-
 nio *in l. 2. C. de furt. & serv. corrupt.* & vitam hæc-
 nus assuetam sceleratam contemne, aliamque me-
 liorem elige, & fuge ceu pestem quodvis cum sce-
 leratis hominibus commercium, ita veram pæni-
 tentiam & emendationem probabis, sinistrasque
 de te conceptas opiniones imposterum cessare fa-
 cies, *arg. l. 2. ff. de probat.* Unico verbo: Abstine
 & recede à malo & fac bonum, *Psalm. 34. vers. 15.*
1. Petr. 3. v. 11. & lib. 2. f. 6. vers. sed quia non sufficit.

Th. IX.

SOlet *perquisitionem* in ædibus alienis magistra-
 tus decernere plerumque ad petitionem e-
 jus, cui res per furtum contrectatæ, quo tamen
 ipso, magistratum vel judicem talem ex officio,
 præ-

⊙ (II) ⊙

præprimis si indicia contra aliquem appareant, eam concedere non posse, minime dicimus, *l. 105. ff. de R. I. l. 1. pr. ff. de quest. Cujac. ad Paul. 2. sent. 31. Jul. Clarus. 5. sent. §. furtum. 3. Boër. decis. 174.* Sed hanc publica exigente & utilitate & necessitate, cui privata minimè præferenda, in eum finem, ut delinquentes coërceantur, iisque, quas suis delictis promeruerunt, infligantur pænæ, cæterique ab hisce delictis absterreantur, judicem ex officio instituere posse, nemo dubitat, *conf. l. 10. §. f. ff. de penis.*

Th. X.

HAncce ædes alienas perquirendi licentiam ipsis, quibus furta facta sunt, dominis, ne inde sequantur scandala, & oriantur rixæ & contentiones, non concedit, sed eam committit magistratus suis executoribus, apparitoribus, lictoribus, aliisque suis officialibus, (*uti dicuntur in l. 34. ff. de reb. credit.*) quorum officium in Republ. est maximè necessarium, ne deficientibus illis honestiores se hac macula inquinare cogantur, & ne ex sordido, quod exercent, vitæ genere quâdam levis notæ macula aspergantur, *l. 27. ff. de inoffic. testam. Boër. decis. 174. Alciat. consil. 462. Paponius in Arrest. Gallic. 23. arrest. 6. num. 3.* Apud illas autem gentes, ubi tales

B 2

offi-

officiales deficiunt, ut apud Lituanus, testibus Gan-
guino & Ortelio *in descript. Lituan. l. 6.* perquisitio i-
psi accusatori vel domino conceditur.

Th. XI.

QUOD si tamen, præter omnem spem res furto
subtractæ, hac perquisitione domestica per-
acta, non fuerint inventæ, magistratus edicta & li-
teras monitorias solet proponere, quibus sub pæna
excommunicationis imperat illis, qui de rebus
furtivis scientiam habent, ut illas indicent, teste
Gothofred. ad Schneidevvin. §. 4. *I. de oblig. quæ ex
delict. nasc.* Jul. Clarus *l. 5. sent. §. furtum. num. 4. pag. 32.*
Quod si hisce literis monitoriis reuelanti furem,
reique furtivæ receptatorem promittatur præmi-
um, num illud etiam debetur illi qui ex delicti
complicibus illud denunciatur & manifestat? Ne-
gamus per ea quæ tradit Bartolus *in l. 3. ff. ad Sct.
Syllan.*

Th. XII.

HÆC autem nostra perquisitio domestica in
hunc finem, ut veris dominis, quorum res
fuerunt contrectatæ, restituantur res suæ, & ne
delicta, quæ suscipiendo & celando fures & res
furtivas committuntur, maneant impunita, sed
ut delinquentes partim coerceantur, partim cæte-
ri ab hisce delictis absterreantur, Mantz. *ad §. 4. I. de*

127
589.

⊙ (13) ⊙

de oblig. quæ ex delict. videtur instituta. Quamquam vero magistratus res apud furem inventas sibi attribuere nequeat, sed eas vero domino restituere teneatur, potest tamen has tamdiu, donec sumtus in harum rerum conservationem facti refundantur, retinere ut disponitur in *Const. Crim. Caroli V. artic. 208. in fin. & artic. 213.* Quod tamen secus est, teste *Berlich. conclus. 45. num. 32.* Si magistratus ex officio inquirat, hoc enim casu expensas in delinquentis inquisitionem factas dominus restituere non tenetur.

Th. XIII.

REstat nunc ut paucis attingamus & consideremus requisitionem rei furtivæ secundum veterem observationem, de qua mentionem facit §. 4. I. *de oblig. quæ ex delict. nasc.* Fiebat autem illa, teste *Gellio lib. II. c. 18.* *Borch. ad cit. §. 4.* & *Ludvvell. disput. ad I. pag. 297.* olim hoc modo; is nimirum qui rem furtivam in alienis ædibus quærebat, propter matrum famil. aut virginum præsentiam simplici licio & lino cinctus lancem seu patinam rotundam ante oculos tenens intrabat, uti ex *Festo l. 10.* refert *Bachov. ad c. §. 4. I. de oblig. quæ ex delict.* Hancque solennem rerum furtivarum perquisitionem apud Græcos



cos quoque usitatam fuisse innuit Plutarch. *in Demosth. pag. 20.* Illamque neque Justiniani Imp. temporibus omnino ab usu recessisse ex *l. 8 C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 1. §. 2. ff. de fugitiv.* videre licet. Moribus tamen nostris hæc solennis perquisitio usu non obtinet, sed magistratus autoritate, si urgentia indicia adsint, rerum furtivarum perquisitio hodie decernitur, ne furta furesque celare reddatur tutius & facilius *Jul. Clar. l. 5. §. furtum. num. 3. pag. 32. Boër. decis. 174. Borchold. & Mantz. ll. cit. Wehner. practic. observ. vocab. Haussuchung.* Hæc itaque sunt illa, B. L. quæ de hac materia impræsentiarum proponere volui. Nihil ergo restat, quàm ut Deo ter optimo terque maximo pro concessis viribus & studiorum nostrorum directione gratias agamus maximas, eumque supplicibus veneremur precibus, ut uti hæctenus ita & imposteriorum studia nostrâ ita dirigat, quo cedant in sui divini nominis gloriam, Reipublic. & proximi salutem nostrumque commodum.

⊙] o [⊙

CO-

COROLLARIA.

I.

I mperator Romanus licet in l. aēlwōis. 9. ff. ad L. Rhod. de jact. mundi dominus dicatur is tamen nunquam fuit.

II.

Ab Imperatore ad Papam non datur appellatio.

III.

Etiam in Electores committitur crimen laesa majestatis.

IV.

Cum jure privato & publicum in Academiis discendum.

V.

Cum secularibus & clerici obligantur jure feudali.

VI.

Imperii recessum allegans in libro recessuum non extantem, e-
jus hodiernam observantiam probare tenetur.

VII.

An liberi in viti & reclamantes per subsequens matrimonium legitimari possint? Negando respondemus.

IIX.

Non dantur hermaphroditi utroque sexu valentes.

IX. Ba



210

⊙ (16) ⊙

IX.

Baculi prætorii, quem iudex in manibus tenet, abiectione injuria committitur in eum, cujus nomine jurisdictio exercetur.

X.

Utrique conjugum adulterii reo, licet alter pro altero intercedat, infligitur pœna adulterii.

XI.

Fœmina infantem recens natum exponens, qui tamen mortuus postea reperitur, est causa homicidii.

XII.

Coacta voluntas est etiam voluntas.

XIII.

Magistri & Studiosi, cum nusquam à tortura eximantur, torture subjici posse existimamus.

XIV.

Ex una civitate relegatum ex tota prouincia relegatum esse statuimus.

XV.

Studiosus per decennium in quadam Academia literis operans dans ibidem domicilium constituisse dicendus non est.

XVI.

Rationem, cur fœmine citius quam masculi ad pubertatem perueniant, à Glossa ad l. 2. C. de his qui veniam etat. impetr. allatam approbare non possumus.

⊙] o [⊙









Marberg, Dia, 1683-97

X2677025

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

5 P. 13.
M

1695, 2.

INAUGURALIS
ICA

ITIONE
TICA,

Hung/

PRÆSIDE
ET DECRETO

consultissima

JURIDICÆ
RRIMA,
TTORUM EST,
MIA.

GRADU

consequendo,

*ad d. 30. Julii in majori ad
submitte*

PH IHRINGK,
nas Hassus.

RICI STOCKII, An. 1695.

